

HABICHHORST, variarum quondam arcium ac districtuum
 Præfecto, *Matre* **AGNETA GRELLI** Matronâ honestissi-
 mâ, **HERMANNI GRELLII**, Senatoris *Wismariensis* filiâ. *Avum*
habuit Melchiorum Habichborst, Advocatum Güstroviensem, Aviam
Esberam Emmen, Fœminam laudatissimam, MATTHÆI EM-
MII, Civitatis Güstroviensis Syndici, filiam, Et quidem Ma-
 ter ejus pientissima, cum ultra annum sterilis esset, votum fecit,
 semet, si Filium enixura esset, sacrisillum officii consecraturam,
 quem in lucem protulit Ao. 1634. d. 14. Martii, ac in Sacro
 Baptismate nomine ante memorato insigniri curavit. Ut igi-
 tur voti sui compotes fierent Parentes, *Præceptoribus* eum
 commiserunt instruendum, & primo quidem **M. JOACH.**
HERMETI, in *Schola Graboviensi* Juventutem tunc temporis
 formanti. Deinceps illum Ao. 1648. *Güstrovium* miserunt, ubi
 sub ductu **M. GEORG. SCHEDII** Rectoris, **ANDR. METZ-**
MACHERI tum Sub-Rectoris, *Blasii Grabii* Con-Rectoris, nec
 non **FRID. WITTMANNI** & **JOACH. GEISTII**, per inte-
 grum lustrum lingvis & politiori literaturæ operam dedit.
 Postea B. noster Ao. 1653. d. 6. April. in *Academiam nostram*
 missus est, ac publicas privatasq; tam Theologorum. **D. JOH.**
GEORG. DORSCHÆI, **D. HERM. SCHUCKMANNI**, **D.**
GASP. MAURITII, **D. JOH. QVISTORPII II.** & **JOH.**
CHRISTOPH. OTTONIS, tum Philosophorum, **D. AUG.**
VARENI, **M. MICH. COBABI**, **M. BERNH. GOS-**
MANNI & **M. ANDR. TSCHERNINGII**, quam dili-
 gentissimè visitavit Scholas. Anno. 1654. autem, ad Recturam
 Scholæ in Civitate Lychenâ, quæ Marchiacæ ditionis est, fa-
 vore Senatoris cujusdam, qui Concione ipsius auditâ valdè de-
 lectatus fuerat, præter spem vocatus, spartam illam tandem, etsi
 invitatus, accepit. Seqventi Anno 1655. Rectoratus Scholæ Strelie-
 census in Ducatu Meclenb. una cum Diaconatu Ecclesiæ loci isti-
 us, ipsi oblatus est, licet ille, Scholasticâ vocatione acceptâ,
 Ecclesiasticæ dilationem petierit, & sub conditione habendarum
 nihilominus concionum, impetraverit. Ast vario vitæ illius
 scholasticæ rædio victus, A. 1657. *Rostockium*, depositô officio,
 A 3 redit